SPECIMEM INAVGVRALE MEDICVM
DE
IPECACVANHA

PRO
OBTINENDO GRADV
DOCTORIS MEDICINAE ATQVE CHIRVRGIAE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINI
IN ACADEMIA ERFORDIENSI

EXHIBVIT

IOANN. CHRISTOPHORVS MOELLER
MEDICINAE CANDIDATVS
MOLHVSA THVRINGVS.

DIE II. SEPTEMB. MDCCXCV.

ERFORDIAE
Typ. IO. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

INCLVTAE SACRAE IMPERII ROMANI ET LIBERAE CIVITATIS MOLHVSINAE SENATVI

AMPLISSIMO SPLENDIDISSIMOQVE

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQVE,

DOMINIS

CONSVLIBVS, DIRECTORIBVS, CENSORIBVS, PRAETORIBVS ET PATRIAE PATRIBVS

RELIQVIS

DE CIVITATE MERITIS,

PROCERIBVS FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS

SVMMO DEVENERATIONIS CVLTV PROSEQVENDIS HAS STVDIORVM PRIMITIAS

IN GRATI ANIMI TESTIMONIVM

DDD.

TANTORVM NOMINVM

ADDICTISSIMVS CVLTOR

I. C. MOELLERVS, MED. CAND.

§. 1.

Licet varii iam egerint scriptores celeberrimi de Ipecacuanha, superfluum tamen non censeo, si de experimentis cum illa institutis, id solummodo proferam, quod vsum huius remedii, exigua dosi propinati attinet. Ipecacuanha nostris diebus magno venditur pretio, hinc et medicis, et aegrotis interest, effectus necessarios cum minima huius remedii dosi producere.

§. 2.

Duae quidem in officinis nostris medicamentariis asseruantur Ipecacuanhae species: *Psychotria*, nimirum, *emetica*, et *Viola Ipecacuanha* s. Ipecacuanha alba [a]); dari vero et alias, quae similem in corpore animali producere queant effectum, nemo negabit. Huc v. c. referas *Violam paruifloram*, *Violam*

a) I. *Arnemann* praktische Arzneimittellehre. Zweite Aufl. I. Th. Götting. 1795. 8. p. 425.

lam diandram b), *Euphorbiam Ipecacuanhae*, *Psoraleam glandulosam*, *Spiream trifoliatam*, *Asarum europaeum*, e. a. quarum vero nobis nondum sufficienter determinatus innotescit vsus. Qua de caussa has praetermittam, et tantummodo de prioribus ambabus speciebus ea tractare paucis studebo verbis, quae mihi, praemittenda esse, videbantur.

§. 3.

Psychotriae emeticae siccae character externus est, vt habeat longitudinem pollicis vnius ad tres; crassitiem, vnius ad lineas tres; superficiem valde rugosam, lamellis quasi subuolutis constantem; fractura, substantiam gryseofuscam, faciem resinosam, et filamentum intimum ligneum albidum praebet. *Viola Ipecacuanha* autem quodammodo crassior, aliam solo iam adspectu formam exhibet, venis scilicet, massa grysea iniectis similem et quasi torquatam; fractura substantiam ostendit mere albam atque farinosam, pari modo vt videre est in radicibus salsaparillae vetustis. Filum intimum

b) *Viola* quoque *odorata* et *canina*, quibus ad vomitum producendum vsus est cl. *Gesenius*, Handbuch der praktischen Heilmittellehre. Stendal. 1791. 8. p. 56. — *Niemeier* Diss. de Violae caninae in medicina vsu. Goetting. 1785. 4.

mum priore crassius, sed gryseum, oculis sese prodit. Rei tractandae historiam naturalem s. botanicam hic adducendam, non necesse arbitror, quia plures illam iam tractarunt latius, sed solummodo ad obseruationes quasdam a me institutas me converto.

§. 4.

Obs. I.

Tres ante annos, optimo cum patre proficiscens ad ſororem dulcissimam, imbere, in viae dimidio fuerimus correpti, quippe qui nobis, itinere et tempestatis metu valdopere calefactis, summum intulerat refrigerium. Die sequenti pater febre catarrhali, capitis doloribus coniuncta vehementissimis laborans, lecto affixus erat, animo viribusque ita prostratis, vt ferme ne verbulum vllum proferre potuit.

Pulsum tentans, intermittentem illum sentii ac interdum caprizantem; indicationem igitur vitalem hic attendendam esse ratus sum, quo quidem respectu frictiones institui, quibus tam diu continuaui, donec virium defectui ipsemet succubui. Quo patrem debiliorem inueni quam antea; attamen haud mutaui indicationem, sed tantummodo indicatum, exhibui nimirum:

℞.

℞. Rhei optimi
Psychotriae emeticae
aa grana tria;

dispensaui duas huiusmodi doses. Vna ex his a patre sumta, et per horae partem fere quartam ventriculo retenta, vomitus prodromi sese exeruerunt, pauloque post ipse sequutus est vomitus, sub quo simul cum humoribus acidis, magna reiecta est humoris viscidi quantitas. Quater vomitu correptus, tertio mucum tenacem viridem extrusit, quarto autem solummodo aquam calidam haustam, pauxillo muci mixtam eiecit.

Breui postea somno se dedit, quo per se fuit excitatus, et prorsus in integrum restituto gaudiis quam maximis salutem diximus. Inter vomitum, vt ipse confessus est, et adhuc confitetur, plane nullum sentiit dolorem, nec anxietatem, sed modo leniter sudasse, ait. Post hunc morbum celerrime superatum, si quando similes insultus ipsi comminantur, et de viarum primarum impuritatibus suspicatur, dicto medicamine, optimo semper cum successu vsus est.

§. 5.

Obs. II.

Versans in Academia quae floret Vitebergae, et sub exc. D. *Titii* auspiciis, clinicam praxin exercens, ad virginem fui

voca-

vocatus, annum vigesimum tertium agentem, catameniorum, subitaneo refrigerio suppressorum, sequelis per tres annos aegrotantem, et nunc fluore albo benigno laborantem. Facies eius chloroticis simillima; pulsus summe debilis erat atque tardus; ciborum inappetentiam saepiusque animi deliquia perpessa est, omnibus sine effectu sperato hucusque adhibitis medicaminibus. Primarum ergo viarum euacuationem efficere, et quidem medicamento vomitorio praedicto, statim mihi proposui et perfeci. Magna materiei mucosae atque pituitosae copia vomitu reiecta, die sequenti pulsum tetigi, magis eleuatum normamque rectam seruantem inueni; lingua vero adhuc impura, curaui, vt iterum sumeret medicamen vomitum excitans. Quo magna materiei viridescentis viscidae copia fuit reiecta. Tunc leni euacuante aluum, antea strictam, liberam reddidi. Tertium post diem, aegrotam extra lectum in cubiculo ambulantem inueni, nullo amplius inueniendo morbi alicuiusdam signo. Dein pilulis vsa fuit gummoso-amaricantibus cum marte, et post peractas sex hebdomades, exoptatus catameniorum fluxus reuersus fuit, typum regulariter seruauit, vt posthaec virgo sic vt aliae eius farinae floruerit.

§. 6.

Obs. III.

Ibidem locorum, praeceptoris mei summe colendi absentia, ad puellam vndecim circiter annorum, insultibus epilepticis quandoque correptam, et nunc tali se habentem, fui deductus. Circumstantiis malis omnibus a matre ita edoctus, vt nihil fuisset reliquum, fateri debeo: me plane dubiosum fuisse, quid hic faciendum sit; tota enim quantacunque historia, ac ipsius aegrotae symptomata, indicationem mihi praebuerunt verminosam. Accidens autem hoc epilepticum, cum diu iam durasset, et a matre audiissem, filiam, matutino imprimis tempore, copiose panem petiisse et edisse saccharatum, emeticum illud adhiberi posse, censui, sed alia sub forma praescripsi, nimirum:

℞. Psychotriae emeticae
rhei opt. āā grana decem
syrupi simplicis Vnciam semis

S. *Viertelstündlich einen Theelöffel voll hiervon zu geben, bis hinlängl. Wirkung erfolgt ist.*

Per spatium horarum duarum circiter domi versans, iterum ad eandem fui accersitus. Januam intrans, facie laetitia impressa, mihi mater occurrit, clamans: „Deus bone, infans reuixit! quid vero mihi posthac agendum?“ Electuarium

rium pro die sequenti vermipellens praescripsi, quo sensim adsumto, per aluum reiecit puella non solum ascarides et lumbricos, sed etiam taeniae solii particulas tres. Posthinc talibus non solum prorsus liberata fuit insultibus epilepticis, sed, tradita curationi exc. *Titii* quoque non dubito, quin ab isto verme solitario perfecte fuerit liberata.

§. 7.

Obs. IV.

Puer infans, qui diu iam laborauerat tussi s. d. stomachica, respirationem enim anhelosam in illo sentire haud potui, et omnia deerant tussis pectoralis signa, potius vero primum abdomen infantis tumidum, faciei pallor, extremitatumque habitus ad reliquam corporis formam non proportionatus me attentum fecere; cibos plane recusauit, ac nil nisi potum appetiit. Accepit et hic infans electuarium supra notatum, postque varios vomitos, puerum fere prorsus non commouentes, cibum petiit, et tussis sensim emansit.

§. 8.

Obs. V.

Vir iuuenis doctus, digestione laesa atque doloribus in regione hypogastrica diu laborans, saepissime roborantibus

vti

vti soluit medicamentis, nihilo tamen secius magis magisque debiliorem se fieri sentiit; consilium igitur meum petiit. Extemplo roborantibus abstinere, pulueresue sequentes praecepi:

> ℞. Ipecac. albae ℈ß.
> salis ammon. ℈I.
> Herb. card. ben. ℈II.
> F. exinde part. aequ. viginti
> *S. Früh und Abends eins.*

Quarta die, cum illum versus noctem visitatum adiui, laetitia mihi dixit: se quasi nouum esse genitum, et huc vsque de malo nec vllum percepit incommodum.

Haec pauca sufficiant, de bonis ipecacuanhae effectibus dixisse; exiguos enim praeterire liceat casus. Luculenter vero patet, et ipsa experientia me edocuit, atque comprobare possum pluribus, parcam radicis nostrae dosin rheo coniunctam, talem producere posse effectum, qualem drachmae dimidium vel maior dosis; et casus mihi obuenerunt, quibus, votis meis melius, tartaro emetico, respondit. Ergo et hic quasi prouerbium medicum locum habeat: quod fieri potest per pauca, ne fiat necesse, per plura.